





1928 K 944

18

366

5, 23

24

I M A G O  
VITAE MORVMQVE SOCRATIS  
E SCRIPTORIBVS VETVSTIS EXPRESSA

DISPV TATIO  
HISTORICO PHILOSOPHICA

Q V A M  
P R A E S I D E

FRANCISCO VOLKMAR REINHARD  
THEOL. BACCAL. ET PHIL. PROF. PVBL.  
EXTRAORD.

AD D. VI. APRILIS A. C. CIOIOCCCLKXXI  
E NVMERO EORVM

QVI PRIVATIM SCRIBENDO SE AC DISSERENDO  
EXERCENT  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR

IOANNES GEORGIVS AVGVSTVS HACKER  
AA. MAGISTER.

VITEBERGAE  
LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

1781

III  
6435






SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS SAXONIAE  
IN  
SENATV ECCLESIASTICO SVPREMO  
P R A E S I D I  
E T  
C O N S I L I A R I I S  
P E R I L L V S T R I  
S V M M E V E N E R A N D I S A C M A G N I F I C I S  
I L L V S T R I B V S A M P L I S S I M I S Q V E

D O M I N I S A C P A T R O N I S  
I N D V L G E N T I S S I M I S

HOC  
PRIMUM PERICVLVM  
TANQVAM PIETATIS DEMISSAE ET ANIMI  
GRATISSIMI  
MONIMENTVM QVALECVNQVE  
CONSECRAT

DOMINIS AC PATRONIS  
AVCTOR  
IOANNES GEORGIVS AVGVSTVS HACKER.



Satis constat, recentiori aetate plures fuisse, qui Socratis, antiquorum philosophorum facile principis, vitam virtutesque, scriptorum vetustorum auctoritatem secuti, accuratius persequerentur. In his agmen ducere videtur BRVCKERVS, grauissimus *historiae philosophicae* scriptor, qui, quam diligenter et copiose de Socratis ingenio, vitaeque instituto exposuerit, cum iam satis sit cognitum, non opus est, vberius eam rem explicare.<sup>a)</sup> Memoranda etiam est MOSIS MENDELSON, scriptoris celeberrimi, insignis diligentia, qui libro praestantissimo, in quo Platonis Phaedonem, ad nostrorum Philosophorum subtilitatem conformatum, exhibuit, imaginem adiunxit Socratis, ita expressam, vt omnibus existimatoribus non possit non et elegantia auctoris et fides vehementer probari.<sup>b)</sup> His addi possunt alii, quos huius libelli angustiae vix caperent, si, quid scripserint, et qua sint diligentia vsi, vellem vberius persequi.

A 3

Nam

<sup>a)</sup> vid. eius *historia Philosophiae critic.* Tom. I maxime pag. 531. sqq.

<sup>b)</sup> conf. *Phaedon, oder über die Unsterblichkeit der Seele* pag. 3. sqq.



Nam praeter IONSIUM in *scriptoribus histor. Philos.* HEINSIUM in *orationibus*, CLERICVM in *siluis philolog.* BOERNERVVM in *Orat. de Socrate*, MENZIUM in *dissert. aduersus Socratem scripta*, SCHAVVINVM de *rel. naturali*, STANLEIUM in *hist. Philos.* et eos, qui ad Diogenem Laertium scripserunt animaduersiones, quibus omnibus BRVCKERVS iam vsus est, nostris temporibus de hoc viro eiusque moribus multa tradidere et ii, qui de eius genio scripserunt, infra memorandi, et alii, veluti EBERHARDVS, in libro, cui fallacem indicem Apologiae Socratis fecit; SCHLOSSERVVS in *opusculis philosophicis*, et nuperrime Anonymus quidam, qui scribere coepit librum, cui titulum praefixit, *Gallerie der alten Griechen und Römer*, in quo libro de Socrate fere nihil dicitur, quod non sit ab aliis multo et verius et elegantius expositum. In tanta scriptorum copia multis equidem videbor post Homerum scribere velle Iliada, cum de moribus Socratis quaedam differere instituerim. Sed sunt profecto, quae ad excusandum meum institutum dicere possim. Ac primo quidem ipsa sententiarum de tanto viro diuersitas me iam dudum incitauit, vt paulo accuratius quaererem, quid scriptores antiqui; eique proximi, de eo dixerint, qualemque fuisse perhibeant. Honestum enim et ad animi conformationem vtile mihi videbatur, vitam, mores et instituta magni viri, de patria et magna adeo generis humani parte bene meriti, indagare et cognoscere penitus. Deinde cum vidissem, disputationem de moribus et vita Socratis, a recentioribus nonnullis scriptoribus ad religionem Christianam traduci, quod et ab EBERHARDO, Viro cel. et in illa noua de genio Socratis nuperrime mota lite factum nouimus, vt alia iam praetermittam: hoc ipsum stimulos mihi addidit, vt de moribus Socratis accuratius cogitare et ad ipsos fontes redire mecum constituerem. E quibus cum mihi notassem plura, exstitit tandem hic libellus, in quo imaginem consuetudinis et morum  
Socra-





Socratis exprimere constitui. Ac primo quidem de auctori-  
bus vetustis nonnulla praefabor, qui maxime videntur in  
hac causa sequendi; adumbrabo deinde imaginem Socratis  
ipsam; adiungam denique nonnulla, quae videntur ex hac ve-  
luti tabula intelligi posse.

Cum Socrates ipse nullos libros confecerit, unde eius  
indoles cognosci possit, omnia, quae ad eum pertinent, ex  
scriptoribus, qui de eo memoriae aliquid prodiderunt antiquis,  
depromenda sunt. c) In his primum, vt facile intelligitur, lo-  
cum tenent eius discipuli, quos vulgo scriptores appellant  
Socraticos. Ex his AESCHINES nihil reliquit, quod magnope-  
re ad cognoscendum animum moresque Socratis pertineat, vt  
e tribus, qui supersunt, dialogis lectoribus manifestum erit.  
Omnia igitur redeunt ad PLATONEM et XENOPHONTEM,  
quorum et multos libros habemus, et sine omni dubitatione  
genuinos, quanquam de utroque eodem modo non sit iudi-  
candum. Etenim PLATO in *dialogis* multa affinxit Socrati,  
eumque de rebus loquentem induxit, quae Socrati ne in men-  
tem quidem venerant, in quo eo est progressus, vt cum Socra-  
tes PLATONIS *dialogum*, qui inscribitur *Lyfys*, recitari audi-  
uisset, exclamasse dicatur: Bone Deus, quam multa de me  
mentitur adolescens! d) Unde consequitur, vt PLATONIS in  
*dialogis* auctoritate caute vti debeat scriptor de moribus Socra-  
tis; in *Apologia* eius narratio vim habet maiorem, in qua  
coercens fingendi libidinem veritati videtur vnice litare volu-  
isse PLATO. XENOPHON vero locupletior in hac re auctor est,  
propterea, quod et placita Socratis sincere, nullis alienis ad-  
mixtis, enarrat, et luculentissimam expreffit vitae morumque  
prae-

c) de scriptoribus, qui Socratis vitam prodiderunt deperditis videndus est  
BRVCKER, *Hist. Phil. Crit.* Tom. I. p. 523. inprimis vero LAERTIUS in  
vita Socratis, qui plures commemorat

d) vid. DIOGENES L. III, segm. 35.



praeceptoris sui imaginem in *Memorabilibus*, quae dicuntur, e quibus, quae fuerit viri vita et consuetudo, bene discitur. Hos igitur grauissimos testes si sequimur, minime timendum videtur, ne a vero aberremus. Sed his adiungendus est *DIOGENES LAERTIVS*, qui etiam Socratis vitam conscripsit. <sup>e)</sup> E quo auctore quanquam plurima disci possunt, quae ad vitam Philosophi pertinent: est tamen, vt vulgo solet, etiam in hac caussa negligentior, multaque e variis auctoribus temere congesta proponit, vt vix noui quicquam de ingenio et moribus Socratis tradat, quod non multo copiosius in Socraticis scriptoribus reperiatur. <sup>f)</sup> Habent etiam alii scriptores, inprimis *CICERO*, *PLUTARCHVS*, *ABELIANVS* et *GELLIVS* de Socrate multa, quae passim, vetustiorum auctoritate vsi, proferunt. Sed horum narrationes maximam partem sunt e Socraticis scriptoribus haustae; quae vero noua habent, ea tum demum admittenda videntur, cum ab his, quae antiquiores prodiderunt, non abhorrent.

Ex his igitur fontibus ea deducamus quae ad exprimendam Socratis imaginem pertinere videntur, atque in ea re hunc potissimum ordinem sequamur, vt primo quidem ostendamus, *quales fuerint viri mores domi, eiusque erga uxorem, liberos, familiares animus*; deinde eius in rempublicam merita explicabimus, vt intelligatur, *qualis fuerit ciuis*; memorabimus denique ea, quae de *Socrate philosopho* tradiderunt scriptores vetusti, omnemque philosophandi consuetudinem et modum latius persequamur.

Ac primo quidem corpus ita exercuit, vt facile labores tolerare, illudque periculis, quibus vulgo obnoxia est hominum

e) L. II. segm. 18. sqq.

f) Scilicet *DIOGENIS* ea est consuetudo, vt sine ordine et sine selecta temere effundat, quae de quouis philosopho dicenda habet, et lectori paulo delicatioris palati facile fastidium moueat; si discesseris ab Epicuri vita, in qua manifeste multo fuit diligentior.

num vita, tuto posset obiicere. Multa de hac re tradunt scriptores vetusti, quae non sine admiratione quadam legi possunt. Sic Socratem perhibent tempore pestilentiae illius ingentis, quae Athenas vastabat, durante bello Peloponnesiaco, communi fere omnium cladi, minime fuisse obnoxium, nec unquam aegrotasse<sup>g)</sup>, unde etiam in bello laborum fuit patientissimus, ut ex iis patebit, quae infra dicentur. GELLIVS<sup>h)</sup> autem memorat, Socratem omnia fere vitae suae tempora valetudine inoffensa vixisse. Fuit igitur studiosissimus eorum laborum, qui ad firmandum corpus viderentur aliquam habere vim, et omnia diligenter fecit, quae ad tuendam valetudinem pertinerent; hoc effecit, ut lubenter saltaret, putans, eam exercitationem multum valere ad conseruandam bonam valetudinem.<sup>i)</sup> Inde etiam fluxit summa viri temperantia et continentia, quas virtutes non modo ipse diligenter coluit, sed aliis etiam studiosissime commendauit. Haec eius abstinentia tanta fuit, ut ne acerrimi quidem aduersarii, quos expertus est, eam in dubium vocare auderent, quamquam, ut fit, Socratis studium riderent<sup>k)</sup> Cernebatur autem eius temperantia, tum in victu, quem tum dicebat esse optimum, cum facile parabilis esset, tum in vestibus, in quibus fuit ab omni elegantia muliebri alienissimus; haec omnia, quam uera sint, multis potest veterum scriptorum locis doceri.<sup>l)</sup> Quam diligenter autem hanc virtutem et exemplo suis com-  
menda-

g) conf. LAERTIVS *lib. II. segm. 25.* et AELIANVS, *var. hist. lib. XIII. c. 27.*  
h) *Noët. Attic. I. II, c. 1.*

i) vid. DIOG. I. II, *segm. 32.* qui eius rei testem avertit XENOPONTEM in *symposio c. II. §. 17.* edit. Bach. possunt etiam ea addi, quae MENAGIVS ad locum DIOGENIS notat.

k) hoc pluribus docet LAERTIVS I. II, *segm. 27. 28.*

l) conf. v. c. DIOG. I. II, *segm. 27.* XENOPH. *Memor. I. I, c. 3. §. 5. sqq.* et c. 6. tot. quod continet elegantissimam ea de re disputationem, etc.



mendauerit, et verbis, optime XENOPHON docuit in *Memorabilibus*.<sup>m)</sup> Hinc etiam factum, ut semper esset diuitiarum contemtor, quamquam magnis opibus minime floreret, nec a discipulis mercedem acciperet,<sup>n)</sup> quam largam potuisset adipisci. Eo etiam pertinet abstinentia illa, qua noluit larga Alcibiadis dona accipere, ut AELIANVS<sup>o)</sup> prodit, et alios, qui pecunias ad ipsum mitterent, aspernatus est.<sup>p)</sup> Talis vir, qui nec voluptatis illecebris, nec diuitiarum cupiditate ducebatur, adulari nunquam alicui poterat,<sup>q)</sup> quae animi elatio ipsi perperam ab aduersariis vitio data, et factus loco habita est, ut ab Aristophane, auctore Laertio.<sup>r)</sup> Longe tamen absuit Socrates a squalore illo, quem multi philosophi postea prae se tulerunt, nec profusus neglexit elegantiam et munditiam in vestibus. Documento est cura illa, qua auctore PLATONE<sup>s)</sup> in *symposio* ad Agathonis conuiuium profectus, venustiore habitu utendum sibi duxit, quorsum etiam pertinent, quae de Socratis elegantia AELIANVS<sup>t)</sup> narrat, ad cuius locum videndi sunt interpretes. Quam alienus fuerit a stulta illa superbia aliorum philosophorum, qui sordes in vestibus amabant, ex eo intelligitur, quod Antistheni, vano disrupti pallii iactatori, dixit: Ὅμοῦ σου διὰ τοῦ τριβάνου τὴν κενδοσύτην; ex ipsa pallii scissura vanitatem tuam perspicio.<sup>u)</sup> Sed eadem viri temperantia etiam

<sup>m)</sup> fecit id passim, leg. in primis l. IV. c. 10.

<sup>n)</sup> conf. XENOPH. *memor.* l. I. c. 8. tot. et l. I, c. 2. §. 60. ac PLATO in *apol.* §. 18.

<sup>o)</sup> l. IX. c. 29. adde, quae CICERO memorat eadem de re *quaesit. Tusc.* l. V. c. 32. et DIOG. l. II, segm. 25.

<sup>p)</sup> confer. loc. AEL. id.

<sup>q)</sup> vid. DIOG. l. II, segm. 25.

<sup>r)</sup> conf. loc. modo excitatum.

<sup>s)</sup> in *conu.* p. 1115 edit. Ficini.

<sup>t)</sup> *var. hist.* l. IV, c. 11.

<sup>u)</sup> vid. LAERT. l. II, segm. 35. add. AELIANVM *var. hist.* l. IX, c. 35.



etiam in abstinentia a venere cernebatur, quae, si iis credere volueris, qui omnem eius vitam satis cognitam habuerunt, fuit sanctissima. Illustris locus ea de re apud XENOPHONTEM<sup>x)</sup> est, vbi non modo alios ab impuro amore dehortatur, sed et ipse ob morum castitatem vehementer laudatur. Nec audienda est eorum criminatio, qui turpis et impurae παιδεγασίας maculam ei adsperserunt, et quos BRUCKERVS<sup>y)</sup> commemorat. Etenim vnde exorta sit illa suspicio, XENOPHON<sup>z)</sup> docet, et nos infra, vbi de methodo docendi, qua vsus est, disputabimus, aliam causam aperiemus. Atque est profecto Socrates ab illo ipso Alcibiade, quem perditte amasse dicitur, satis defensus, apud PLATONEM.<sup>a)</sup> Adiungenda est illa GESNERI doctissima commentatio, cui titulum fecit, *Socrates sanctus paedragasta*, in qua eius castitas ita defensa est, vt mirum sit, esse adhuc, qui de ea dubitare possint. Cum hac viri continentia coniuncta fuit mira animi constantia, quae tanta fuit, vt ab eo, quod bonum ipsi iustumque videretur, nulla re posset dimoueri. Hoc cum ex illis intelligitur, quae infra disputabimus, de bellica viri virtute, et in magistratu administrando iustitia, cum e patientia, qua facile tulit aliorum iniurias, cuius apud scriptores veteres multa leguntur documenta.<sup>b)</sup> Inprimis vero ardor ille, quem demonstrauit in emendanda patria, argumento esse potest, quantus et quam constans in Socrate fuerit animus, qui nec impedimenta summa, nec labores grauissimos, nec atrox plebis et magistratus odium reformidaret. Hanc constantiam retinuit, et clarissime demonstrauit etiam tunc, cum ab Aristophane in scena iactatus non

B 2

dubi-

x) *Memor.* l. I, c. II. §. 8. lqq.

y) *vid. list. phil. crit.* T. I, p. 539.

z) *Memor.* l. IV, c. I. §. 1. 2.

a) *conf. symp.* §. 1205 lqq.

b) *conf. d. i. c. I. II, legm.* 21. et legm. 36.



dubitaret, in conspicuo theatri loco federe, ac tandem furgere adeo, vt stans ab omnibus cerni posset.<sup>c)</sup> Eadem animi elatio etiam eluxit in illa defensione, qua se coram iudicibus tuitus est, nec potest apud PLATONEM in *Apol.* sine admiratione cognosci summa viri grauitas et constantia. Vnde etiam respuit Lyfiae illam orationem, qua se potuisset copiose et eleganter defendere, quoniam sua grauitate eam censebat non satis dignam.<sup>d)</sup> Huc denique pertinent ea, quae fecit in carcere, cum extrema pateretur, et quae sunt a PLATONE cum in eo dialogo, qui *Crito* inscribitur, tum in *Phaedone* ita exposita, vt vera profecto sit illa CICERONIS VOX, qui Socratis morti se fere semper illacrumare dicit. Hae viri virtutes pepererunt etiam praeclaram illam aequabilitatem in omni vita, quae fecit, vt idem semper Socratis vultus, eadem frons esset, vt cum Cicerone loquar.<sup>e)</sup> Haec animi tranquillitas fuit etiam semper cum facilitate summa et humanitate coniuncta. Erat enim Socrates affabilis, et expositus omnibus, vt etiam senex ab adolescentibus diligeretur.

Intelligitur facile, tam praeclaram animi indolem Socratem etiam suis fecisse amabilem, vt cum propter hanc vir bonus esset, etiam patrisfamilias officio omni ex parte satisfaceret. Quis nescit patientiam plane diuinam animique moderationem, qua vsus est erga vxorem illam, quae propter morum asperitatem, ingenique acerbam ferociam, ab omni fere antiquitate vehementer vituperatur, et cuius nomen in prouerbiis abiit. Traduntur ea de re passim multa apud veteres, quae, quoniam sunt in vulgus nota, non iam operose memorabimus.

c) conf. AELIAN. *var. hist.* l. II, c. 13. et SENECA de *constantia sapientis* c. 10.

d) conf. LAERT. l. II, segm. 40.

e) de *Offic.* l. I, c. 26. et AELIAN. *var. hist.* l. IX, c. 7. *Cic. quaest. Tuscl.* III, c. 15.

mus.<sup>f)</sup> Fuerunt quidem, qui Socrati boni patrisfamilias laudem denegare vellent, quo consilio scripta est commentatio quaedam, Praefide Friderico Mentzio, apud Lipsienses olim Professore, publice defensa, qua auctor voluit ostendere, Socratem nec officiosum maritum, nec laudandum patremfamilias fuisse. Sed qui animo ab opinionibus alieno legere voluerit istum libellum, is facile animaduertet, auctorem inique disputare, ratiunculis vti contortis et parum aptis, studiose denique captare rumusculos quosdam, Socrati parum honorificos, qui, vt sit, etiam de hoc viro apud veteres sparsi reperiuntur.<sup>g)</sup> Igitur minime erimus in consutanda ista oratione copiosi, praefertim, cum minime probemus eorum inquam fedulitatem, qui in eo elaborant, vt bene meritorum virorum famam arrodant, magnitudinemque allatrent. Sufficiat, hoc monuisse, Xantippen, cum Sócrati moriendum esset, id minime aequo animo tulisse, sed auctore quidem PLATONE, teste in hac causa satis locuplete, vehementer luxisse mariti exitum, quod profecto non fecisset, si Socrates fuisset malus pater familias.<sup>h)</sup> Quam diligens etiam fuerit in formandis suorum animis et conferuanda pace domestica exemplo quodam XENOPHON docet in *memorabilibus*.<sup>i)</sup> Eam vero lenitatem comitatemque morum, quam supra laudauimus, filiis demonstrauit suis, eoque progressus est, vt aliquando deprehendere-

B 3

tur

f) conf. DIOG. LAERT. I. II, segm. 36. 37. ad quem locum videnda sunt, quae notarunt MENAGIVS, qui eius rei exempla plura affert e scriptoribus vetustis, et ALDOBRANDINVS. Meditatus quidem est huius feminae defensionem aliquam HEVMANNVS, in *act. phil.* T. I, p. 103, sqq. qui vir sibi vehementer placuit, vt notum est, in defendendis iis, quae erant a communi omnium sententia aliena. Sed eum hoc fecisse minus recte, iam obserauit BRUCKERVS *hist. phil.* T. I. p. 529.

g) exemplo esse possunt, quae assert §. 8. sqq. et quae disputat de nefando Socratis amore §. 11. caetr.

h) vid. PLAT. *Phaed.* §. III, edit. Fisch.

i) I. II, c. 2.



tur ab Alcibiade, cum Lamprocle, adhuc infante, ludens et in arundine equitans.<sup>k)</sup> Quod vero paupertatem praetulit rei familiaris incremento, ut supra a nobis obseruatum est, atque hoc modo neglexisse videtur suorum commoda, iisque male prospexisse, in eo minime videtur reprehendendus, quamquam id videatur iniquo illi disputatori, de quo diximus, qui hac maxime de causa eum patremfamilias existimat minime laudandum.<sup>l)</sup> Nam quod in alio quouis homine vulgari vitium fuisset, id in Socrate perperam vituperatur; hic enim, cum diuinitus ad erudiendam, emendandamque patriam missum se designatumque existimaret, hoc profecto munus praeferre debuit rei familiaris curae, quod fecerunt etiam multi alii viri ingentes, qui publicam salutem priuatae ita anteposuerunt, ut ea re immortalem sibi nominis famam pararent. Quis, ut vel vno exemplo defungamur, Aristidem, ipsius Socratis socerum,<sup>m)</sup> reprehendit, cuius abstinentia tanta fuit, ut in summa paupertate decederet, etsi potuisset diuitias adipisci, filias vero reipublicae alendas relinqueret. Verissima, etiam in hac causa, est illa CICERONIS, quamquam de alio genere dicentis, vox, in *libris de officiis*:<sup>n)</sup> *neminem hoc errore duci oportere, ut si quid Socrates aut Aristippus contra morem consuetudinemque fecerint, locutiue sint, idem sibi arbitretur licere.* Magni viri, et ad res magnas a Deo designati, non sunt ad eam exigendi regulam, e qua solemus homines metiri vulgares.

#### Quanta

k) vid. AELIAN. *var. hist.* l. XII, c. 15. vbi etiam plura magnorum virorum exempla, ut Herculis, Agesilai, et Archytae memorantur, qui lubenter cum pueris ludere solebant; Quibus addi potest, quod iam PERIZONIVS ad eum locum notauit, Augusti, et Aelopi consuetudo, qui laxandi animi causa idem fecerunt. GELLERTVS in *praelectionibus part. II. prael.* 25. etiam recte memorauit similem Racinii et Melanchthonis comitatem.

l) conf. *disput. MENTZII* modo allatam §. 15. lqq.

m) vid. LAERTIVS l. II, segm. 26. et MENAGII ad eam locum observationem vel potius emendationem.

n) l. I, c. 41.



Quanta denique fuerit Socratis erga familiares et amicos probitas, quantoque amore eos complexus sit, facile possemus docere multis, nisi satis constaret, Socratem omnem vitam in eo consumpsisse, vt alios adiuuaret, eorumque augetet commoda; sufficiat itaque attulisse pauca. XENOPHON in *memorabilibus*,<sup>o)</sup> de pretio amicorum, de amicis deligendis et conciliandis ita disputat, vt facile intelligatur, quam sanctum fuerit et venerabile Socrati amicitiae nomen. Adfuit autem amicis suis, iisque profuit, quauis opportunitate vsus, nec tantum in infuturendis et emendandis laborauit, verum etiam consilia dedit saluberrima, quae ad bene administrandam iuuandamque rem familiarem pertinerent, cuius rei exempla passim XENOPHON memorat in *memorabilibus*.<sup>2)</sup> Quid Phaedoni profuerit, LAERTIVS<sup>3)</sup> praedidit; ac patet profecto ex vniuersa viri historia, quam carus fuerit amicis, qui in primis exitu eius ita sunt affecti, vt quae PLATO et in *apologia* et in *Critone* et in *dialogo de animi immortalitate* hac de re tradit, ea non possint sine animi quadam commotione perlegi. Multum etiam ad augendam Socratis caritatem fecit hilaritas eius et iucunda consuetudo, quae et ad vtilitatem vberissima, et ad voluptatem dulcissima erat. Nulla igitur fuit vel publicae vel priuatae vitae pars, in qua Socrates amicis prodesse, vel non posset, vel non studeret, vnde recte dicitur, eum amicum fuisse integerrimum, vtilissimumque.

Sed satis videmur copiosi fuisse in exprimenda imagine Socratis, domi et inter suos versantis; veniamus ad ea, ex quibus intelligi potest, qualis in republica fuerit, et quomodo officiis boni ciuis satisfecerit. Ac primo quidem satis constat,

eum

o) I. II, c. 4. vlg. ad 6, et c. 10.

2) velati I. II, c. 7. vsq. ad 9.

3) I. II, legm. 31. conf. etiam AVL. GELL. *noct. Attic.* I, II, c. 18.



eum inde a pueris vitae genus haud inutile esse sectatum. Dixerat enim, quamquam inuitus, ad maiora scilicet natus, patris artem, qui lapidarius fuerat, eamque, vt veteres testantur, haud perfunctorie attigit.<sup>r)</sup> Cum deinde ad philosophiam ductus esset, et si eam summo complecteretur studio, minime tamen inuestigationi veri suisque studiis ita se dedit, vt patriam desereret, quam multorum philosophorum inertiam recte reprehendit CICERO in *officiis*.<sup>s)</sup> Armis enim et manu saepius defendit patriam, veluti in obsidione Potidaeae, et ad Delium Boeotiae oppidum. Demonstravit etiam in militia eam animi constantiam, eamque virtutem, quam scriptores antiqui copiosissime celebrant.<sup>t)</sup> Ad rempublicam quidem accedere noluit, nec est, quod haec prudentia ipsi vertatur vitio, cum eius vita incidisset in calamitosissima reipublicae Atheniensis tempora. Nec tamen cum in senatum lectus esset, eam dignitatem et pericula cum ea coniuncta recusauit, sed potius in eo munere constitutus ostendit, se esse acerrimum vitiorum animaduersorem, et fidum recti iustique satellitem. Quanta enim fuerit viri constantia, multitudinis insanientis libidini minime cedentis, scriptores vetusti notarunt.<sup>u)</sup> Magno etiam animo contempsit triginta tyrannorum ferociam, eaque, a iuuandis patriae commodis, haud passus est, se auocari. Quomodo sit in hac re versatus, exemplo quodam docuit XENOPHON in *memorabilibus*,<sup>v)</sup> quod quantum sit, tum demum intelligitur, cum, qua-

<sup>r)</sup> vid. *DIOG. LAERT.* I. II, *segm.* 19. ad quem locum inprimis est videndus *MENAGIVS*.

<sup>s)</sup> l. I, c. 9.

<sup>t)</sup> illustris locus de Socratis fortitudine est apud *PLAT.* in *conv.* p. 1205. sqq. ubi Alcibiades, qui ipse eius opem expertus fuerat, eum vehementer colaudat. add. *LAERT.* I. II, *seg.* 22. 23. et *AELIAN. var. hist.* I. III, c. 71.

<sup>u)</sup> conf. *XENOPH. memor.* I. I, c. I. et I. IV, c. 4. §. 2. cui adiungendus est *AELIAN. var. hist.* I. III, c. 17. ad quem locum inprimis videnda sunt, quae *XENIVS* et *PERIZONIVS* notarunt, add. denique *DIOG. LAERT.* I. II, 58. 24. cum *MENAGII* annotatione.

<sup>v)</sup> l. I, c. 2, §. 32. sqq.

qualis fuerit illa tempestas, quantaque triginta tyrannorum crudelitas, recte consideratur.<sup>y)</sup> Quam recte etiam de summa reipublicae iudicauerit, ex iis intelligitur, quae apud XENOPHONTEM in memorabilibus disputat cum Periclis filio, de reuocandis ad pristinam virtutem Atheniensibus;<sup>z)</sup> vnde etiam diligenter circumspexit eos, quos videbat reipublicae prodesse posse, eosque, omni orationis et ingenii vi vsus, diligenter ad capefendam rempublicam cohortatus est; alios contra, de quibus bene sperare non poterat, ita repressit, vt consilium, temere captum, abiicerent.<sup>a)</sup> Quae vero in accusatione illa Meliti, ob quam capitis damnatus est, ei vertuntur vitio, ea facile possunt dilui. Quam alienus enim fuerit a corrupenda iuuentute, cum ex iis patebit, quae infra disputabimus, de ratione, quam est in philosophia secutus, tum satis est a scriptoribus vetustis ostensum, inprimis a PLATONE in *apologia*,<sup>b)</sup> et a XENOPHONTE in *memorabilibus*.<sup>c)</sup> Quam vana sit illa criminatio satis etiam ex eo patet, quod omnes, qui eius disciplina diligenter sunt vsi, meliores facti sunt, magnaeque virtutis laude floruerunt. Quod vero recentiores nonnulli criminati sunt, Socratem fuisse hominem circumforaneum, qui tempus in tabernis opificum, hominumque otiosorum circulis perdiderit, id manifeste profectum est a libidine satis vitiosa, prudentiam viri et acerrimum omnes iuuandi studium aliquo modo carpendi, qui vitam vmbaticam auersatus, philosophum putauit versari inter homines debere, vt et cognoscere eos accuratius possit, et iis prodesse. Ex his omnibus intelligitur, Socratem nullum officium boni ciuis deseruisse.

Restat,

y) conf. XENOPH. *hist. graec.* l. II, ab init.

z) l. III, c. 5.

a) exempla cum XENOPH. memorat in *memor.* l. III, c. 7. tum *DIOG.* l. II, segm. 29. 30.

b) vid. §. II. Iqq. edit. Fisch.

c) l. I. c. 2. tot.

C



Restat, ut de iis dicamus, quae ad ingenium viri, doctrinam, et philosophandi consuetudinem, pertinere videntur. Fuisse in Socrate ingenium excellens et subtile, nemo dubitat; loquuntur etiam satis eius sermones. Et si enim ea, quae apud PLATONEM leguntur, Socrati tribui non possunt, cum PLATO, ut iam supra notauimus, ei saepe sua supposuerit, ipse tamen differendi modus, de quo statim plura dicentur, satis ostendit, quanta fuerit in hoc viro solertia, quantumque ingenii acumen, quo non modo ipse videre poterat facile, et subtiliter intelligere, quid sit in quavis re verum, sed etiam ita docere, ut ab omnibus etiam imperitiis possent intelligi. Cum hac ingenii subtilitate, coniuncta fuit incredibilis venustas, qua maxime captus, Socratem officinae ministerio subduxisse fertur Crito. Haec etiam fecit, ut omnibus carus esset, eiusque sermonibus ita tenerentur audientes, ut et voluptatem maximam et insignem utilitatem ex iis caperent. Sed ad has dotes accessit superstitionis quaedam, furorque fanaticus, qui effecit, ut a Deo quodam interdum deterreri se monerique existimaret Socrates. Haec animi imbecillitas, quae multis aliis, iisque summis viris propria fuit, quod facile multis posset exemplis ex historia doceri; haec imbecillitas, inquam, multas de genio Socratis disputationes peperit, opinionesque, quas enarrare, et diligentius excutere non licet, per has libelli angustias. Sed hoc putamus lectori cuius attento manifestum fore, si voluerit antiquorum auctorum hac de re narrationes diligentius cognoscere, omnia illa, quae a genio Socratis profecta dicuntur, cum sententia nostra conuenire, et ex ea illustrari posse. Eandem hac de re sententiam amplexus est celeb. MENDEL-SOHN, in iis, quae de moribus Socratis praemisit Phaedoni (sq. d) atque est profecto longe praeferenda opinionibus aliis, quas

d) vid. p. 27. 28.

quas de genio Socratis excogitavit virorum doctorum industria, imprimis eam ob causam, quod satis constat, Socratem interdum sensisse fanaticum quendam furorem, quorsum pertinet non modo notum illud eius factum, quod Alcibiades narrat apud PLATONEM in *symposio*,<sup>e)</sup> Socratem aliquando, cum esset in exercitu, cogitandum in eodem vestigio per integrum diem, integramque noctem stetisse; verum etiam illud imprimis notandum, quod PLATO in eodem *symposio* statim ab initio monet, hunc fuisse morem et consuetudinem Socratis, ut, si in cogitationem quandam incidisset, paulo impeditiorem, statim, quocunque demum loco, consisteret, eique ita inhaereret, ut ab ea minime posset diuelli. Hoc documento esse potest, Socratem, a fanatica quadam superstitione non fuisse alienum, ut adeo sensum illum, quo viri prudentes praecipere quasi et praesagire futura possunt, Deum aliquem putaret, idque bona fide crederet.<sup>f)</sup> De doctrina Socratis, sufficiat, ea notasse, quae ad cognoscendos viri mores aliquam vim habent. Narrat igitur DIOG. LAERT., eum audivisse Anaxogoram, Damonem, et Archelaum Physicum,<sup>g)</sup> alii etiam

C 2

alios

e) p. 1205. edit. Ficin.

f) Quid alii de genio Socratis existimauerint, tum ex illis intelligitur, quae hac de re disputavit OLEARIVS in singulari libello, quem inseruit STANLEII *hist. phil.* pag. 130 seqq. part. III, c. 6. tum e longiori disputatione BRVCKERI ea de re, quae est *hist. phil.* T. I, p. 543 seqq. Post hos auctores, accesserunt ad pertractandum hoc argumentum etiam scriptores alii, veluti FRATERIVS in singulari commentatione de *Ironia et daemone* Socratis, quam in linguam nostram conuertit HISSMANNVS V. Cl. vid. *Magazin für die Philosophie und ihre Geschichte* part. II, p. 253 seqq. qui tamen nihil fere dixit, quod non sit ab aliis subtilius et copiosius disputatum. Accessere etiam libri ii; qui nuper, cum esset noua de hoc genio exorta disputatio, ad religionem adeo christianam traducta, prodierunt, e quibus legi potissimum poterit, IVSTI V. Cl. *historisch philologische Abhandlung über den Genius des Sokrates*. qui satis bene ostendit, quam inepte disputent ii, qui Socratis vaticinia, si modo hoc nomine digna sunt, cum illis comparare, audeant, quae sint ab auctore christianae religionis perpetrata.

g) l. II, segm. 19.



alios addunt, vt Theodorum in geometricis, Aspafiam in rhetoricis, quam paffim ipfe vehementer laudat, Diotimam, de qua ipfe dicit, fe ab ea τὰ ἑσωτιμὰ didiciffe.<sup>h)</sup> Vnde facile intelligitur, Socratem earum rerum, quae eò tempore difci poterant, minime rudem fuiſſe, qua de re diſputantem eum inducit PLATO in *apologia*, et copioſius oſtendit, quam diligens fuerit, in excutiendis omnibus iis, quae iſto tempore ad eruditionem pertinere viderentur.<sup>i)</sup> Sed cum vidiffet, quantum ſit, quod neſciamus, quantumque temporis perdant ii, qui more ſaeculi, rebus occultis, et ab ipſa natura inuolutis, operam darent, auocauit philoſophiam ab his omnibus, eamque ad vitam communem adduxit, vt cum CICERONE<sup>k)</sup> loquar. Vnice igitur quaefiuit de iis, quae ad vitam bene beateque transigendam videbantur neceſſaria, de virtutibus et vitiis, de bonis rebus et malis, omninoque de felicitate humana, et omnibus eius partibus. Haec Socraticae doctrinae capita breuiter et perſpicue perſcripſit XENOPHON in *memorabilibus*.<sup>l)</sup> Diſputationes vero inanes, et philoſophorum ſomnia de origine mundi, rerumque natura, quae tum varie a variis excogitabantur, tanquam inutilia riſit, et quae ſupra nos poſita ſunt, ea ad nos pertinere, negauit.<sup>m)</sup>

Nec tamen ita fuit Socrates a doctrina alienus, vt reliquas artes prorsus negligendas putaret, hoc tantum voluit, in iis diſcendis modum adhiberi debere, et id agendum eſſe, vt omnia ad

h) conf. PLATO in *conv.* p. 1193.

i) conf. PLAT. *apol.* inde a §. 5, p. 17 ſequ. edit. Fiſch.

k) *quaef.* *Acad.* l. I, c. 4.

l) l. I, c. 1, §. 16.

m) non poenituerit, hic inſpexiſſe locum in Theaeteto p. 127. vbi veniſte ait, philoſophis ſui temporis vere omnibus id accidere, quod Thales expertus eſſet, quem, cum ſideribus intentus in foueam cecidiſſet, imperita ancilla non ſine cauſa riſerit. Addi poſſunt, quae Baelius hac de re diſputat in Anaxagora not. R. Lexic. T. II, p. 219, edit. Gottſch. qui, neſcio quo iure, negat Socratem Anaxagorae operam dediſſe.

ad communem vtilitatem vitaeque humanae commoda referantur. Hoc intelligitur perspicue e disputatione quadam, quae est apud XENOPHONTEM in *memorabilibus*.<sup>n)</sup> vbi docet, quid et quantum sit in quavis arte discendum. Hoc ipsum Socratis de omni doctrina iudicium perspicue docet, quantum in hoc viro fuerit iuuandae felicitatis humanae studium, cum nihil vel discendum vel docendum esse censuerit, ex quo non aliqua saltem ad homines peruenire posset vtilitas. Ipse igitur in omni vita hoc egit, vt varia hominum ingenia, animi humani perturbationes, latebras, atque recessus, artes hominum, et vitae genera diligenter spectaret; praesidia circumspiceret, quibus vel augeri et singulorum et ciuitatis commoda possent, vel auerti calamitates; quae denique vel diligens cogitatio, vel vsus docuisset, ea transferret ad vtilitatem aliorum, et quauis opportunitate vsus, alios doceret.

Sed in instituendis aliis quomodo sit versatus Socrates, paucis expediendum adhuc restat, praesertim cum hac in re summum cernatur philosophi artificium. Etenim cum eo tempore *sophistae*, qui ostentationis et quaestus causa philosophabantur,<sup>o)</sup> et summi erant in cogenda pecunia et decipiendis hominibus artifices, maxima laude per omnem Graeciam flourerent, eorumque auctoritas impune vix violari posse videretur,<sup>p)</sup> Socrates existimauit, se ita docere debere, vt aliud

C. 3

n) I. IV, c. 7, tot.

o) conf. CICERO *Acad. quaest.* I. IV, c. 23.

p) Sophistae, qui fuerint, quid egerint, et quam reuerenter ab omni Graecia coli se passi sint, optime discitur ex iis, quae PLATO reliquit, a quo Socrates inducitur saepe et disputans cum Sophistis, et eorum mores apud alios acriter reprehendens, in primis huc pertinet is PLATONIS sermo, qui *Sophista* inscriptus est. Addi etiam possunt scriptores alii, qui multa de hoc hominum genere tradunt, veluti XENOPHON, DIOG. LAERTIUS, CICERO, AELIANUS, GELLIUS, PHELLOSTRATUS, caeteri, qui cognoscendi sunt, vt eo melius intelligatur, quomodo Socrates in docendo ad horum mores se composuerit.



agere videretur, omnemque ingenii vim prudenter occultare, ne homines putarent, se Sophistis bellum indixisse. Ex hac necessitate, quam tempora imponebant, exstitit celeberrima illa Socratis *dissimulantia*, quam graeci *εἰσθεύειαν* appellant. Huius veluti inuolucro ita textit Socrates per omnem vitam praestantissimas animi dotes, omnesque sensus et consilia, ut omni tempore id agere posset, quod maxime necessarium videretur.<sup>q)</sup> Est autem huius ironiae duplex genus; alterum, quo usus est aduersus Sophistas, alterum, quo instituit homines imperitos et discendi cupidos. In illo genere simulat magnam sophistarum reuerentiam et admirationem; studiose quaerit ad viros tales tantosque aditum, eorumque artes et subtilitatem vehementer celebrat; disputantes studiose audit, eorumque doctrinam demiratur; accusat vulgo suam imperitiam et ingenii imbecillitatem, quae impediatur, quominus omnia possit assequi, atque sic plerumque omnem disputationem eo adducit, ut concisioribus quaestiunculis cum ipsis colloqui possit; quod disputandi genus ubi semel admissum est, ita vulgo solet Sophistas constringere captionibus suis et in angustias compellere, ut eorum inscitia in sensus omnium, oculosque incurrat. Sic quasi aliud agendo minuit Socrates eorum virorum auctoritatem, qui et gratia plurimum poterant et dicendi exercitatione, eoque modo caute subterfugit periculum, cui fuisset obnoxius, si consilium suum prodidisset. Hac dissimulatione quam venuste apteque sit usus Socrates, in dialogis suis optime docuit PLATO, veluti in *utroque Hippia, Euthydemo, Menone, Protagora, Gorgia*, aliis, qui ad rite perspiciendum hoc viri artificium diligenter cognoscendi sunt. Alterum genus, quo imperitos  
ad

q) qui hanc Socratis dissimulantiam accuratius cognoscere voluerint, iis legendi sunt Socratici scriptores, quorum libri his veluti condimentis perspersi sunt, addi etiam potest FRAGVIERII illa, quam supra laudauimus, de *Ironia Socratis*, commentatio.



ad cognoscendum verum, omnemque virtutem exercendam, adduxit, et cohortatus est, ipse elegantissime descripsit in *Theaeteto*,<sup>r)</sup> vbi suam artem comparat venuste cum arte matris suae Phaenaretae, atque docet, vt illa opem tulerit parturientibus feminis, ita se obstetricis loco esse his, qui ingenia habeant grauida, iisque succurrere, vt ingenii fetus feliciter possint eniti. Sed haec dissimulatio, qua Socrates in docendo vsus est, etiam in reliquis vitae partibus locum habuit, omnesque viri sermones facetiis quibusdam condiuit, vnde Zeno, qui caeteros philosophos, eos etiam, a quibus ipse didicerat, maledictis figere solebat, satis inique Socratem scurram Atticum dicebat.<sup>s)</sup> Etenim hac in re Socrates non modo sapienter temporibus aliquid dedit, verum etiam hoc effecit, vt omnibus iucundus esset. Videbatur etiam ad hanc ironiam ab ipsa natura factus quasi et formatus, quae ei corpus dederat deforme, et vultum stupidum bardumque, qua de re insignis locus est apud PLATONEM in *symposio*.<sup>t)</sup> Fluxerunt vero ex hac dissimulatione quaedam, quae a nobis minime possunt praetermitti; primo enim ita semper alios instituit Socrates, vt remoueret a se omnem praeceptoris personam, et negare posset, se vnquam alicuius magistrum fuisse.<sup>u)</sup> Obseruauit potius opportunitatem docendi alios, monendi, castigandi, qua, nulli vel loco vel tempori adstrictus, diligenter vsus est. Exempla in scriptoribus Socraticis vbique legi possunt, omnes enim Socratis disputationes sunt temporibus accommodatae et ex iis quasi natae.<sup>v)</sup> Hoc etiam fecit, vt ab his, qui ipsum sectabantur pecuniam acciperet

- r) p. 110 sqq. cum hoc loco comparandus etiam est alius in *symp.* p. 1197. 1198.  
 s) vid. CIC. de *nat. deor.* l. I, c. 34. t) conf. 1202 seqq.  
 u) vid. PLATONIS *apol.* §. 21.  
 v) vid. V. C. XENOPHON in *memor.* l. II, c. 2. l. III, c. 6. et c. 7, l. IV, c. II. DIOG. LAERTIVS l. II, segm. 29. caet. et AESCHINIS *Asiachus*.



ret nullam, adeoque semper patris et amici personam gereret; neque enim illa potuisset dissimulantia venusta satis commode vti, si voluisset praeceptoris in docendo adhibere feueritatem. Alterum, quod ex hac Ironia ortum est, cernitur in consuetudine Socratis per interrogationes docendi, et per colloquia, quo more tum ad conuincendam nudandamque sophistarum inscitiam,<sup>y)</sup> tum ad erudiendos rudes, et videndi veri cupidos vsus est.<sup>z)</sup> Scilicet perpetua et longior oratio non patitur eam dissimulationem, quam Socrates necessariam putabat, quaestiones vero breuiores mirifice perspicuitatem in quauis re adiuuant, et sunt profecto tum ad docendum tum ad confutandum aptissimae. Peperit denique haec ironia illam Socratis de rebus omnibus dubitationem, quae celeberrima est apud scriptores vetustos.<sup>a)</sup> Cum hoc maxime ageret, vt vel conuinceret sophistarum inscitiam, vel doceret imperitos, quomodo cogitando verum possint inuenire ipsi, non poterat, quid sit verum, decernere, sed ignorantiam fateri debebat et semper in ore habere tritum illud; se nihil scire, nisi id ipsum. Vnde consequitur Socratis dubitationem fuisse simulatam, nec commiscendam cum furore eorum, qui omne verum e cognitione humana tollunt.<sup>b)</sup> Ab hoc fonte fluxit etiam illa suspicio de impuro Socratis amore. Nam, cum sua vsus ironia, ad nobiles adolescentes, veluti Alcibiadem, quaereret aditum, amorem aliquem simulare solebat, atque hoc modo tales iuuenes

- y) vid. PLATO in *Lachete*, p. 486. et *de republica* l. I, p. 578, addi potest eius *Apologia* §. 10. edit. Fisch. et XENOPHON in *memor.* l. IV, c. 2.  
z) hoc intelligitur ex elegantissima descriptione, quam ipse dedit in eo loco, quem supra e Theaeteto attulimus.  
a) vid. apud PLATONEM *de republ.* l. I, p. 578. et in *Theaeteto* p. 142, in *Lachete* denique p. 490.  
b) hoc intelligitur ex iis, quae apud XENOPHONTEM de iis, quae ad bene beateque viuendum pertinent, disputat. vid. etiam PLATONEM in *Phaedone* inde a §. 39. edit. Fisch.



uenes diligentius sequi; a quo quam fuerit alienus, ille ipse Alcibiades satis docet apud PLATONEM in *symposio*, eo loco, quem iam laudauimus; vt verissimum sit, quod XENOPHON ait,<sup>c)</sup> Socratem non corpora sed animos a natura ad virtutem factos dilexisse. Caeterum in docenda virtute et emendandis ciuium suorum animis, indefessam adhibuit diligentiam, posthabita adeo re sua familiari. Vnde negat, se mortis periculo absterri posse a consuetudine cum ciuibus. Putat ac profitetur, se ciuitati diuino quodam beneficio concessam esse, huiusque dignitatis memorem adire se sigillatim quemuis ciuem, et, vt patres soleant vel fratres natu maiores ad virtutis amorem cohortari.<sup>d)</sup> Atque hoc studium in hoë viro, vt ex historia patet, nec ingratus ciuium animus, nec multitudinis contentus, nec magistratus odium et minae, nec denique supplicii ipsius periculum potuit reprimere. Nec mirum hoc est, si perpendas, qualem habuerit Socrates de Deo sententiam, quae optime disci potest e *memor.* Socratis, quae XENOPHON reliquit. Etenim non modo hoc demonstrat, esse vim et naturam Deorum, de qua sentit profecto magnifice et praeclare;<sup>e)</sup> verum etiam docet, Deos hominibus consulere, et propterea esse colendos. Probabile etiam est, eum vidisse, vnum esse Deum, mundi vniuersi rectorem, cui tamen adiunxit mentes quasdam alias, partibus mundi a summo Deo praeffectas, quas et ipsas colendas esse putauit, quam ineptas de numine Deorum fabulas, quas continebat publica religio, contemneret, atque rideret. Ex hac viri de  
natura

c) conf. *Memor.* l. IV, c. I, §. I, 2.

d) Optime hunc Socratis ardorem in augenda salute ciuium descripsit PLATO in *apol.* maxime §. 17. et 18. e *memor.* XENOPHONTIS huc pertinet l. I, c. I, §. 10.

e) in *memor.* l. I, c. 4.

D



naturā Dei sententia, primo quidem illud intelligi potest, cur more patrio et ipse rem diuinam fecerit, et ab aliis fieri debere censuerit. <sup>f)</sup> Deinde manifestum est, quomodo sit exorta illa criminatio, Socratem peregrina numina inducere, quae et a vetustis scriptoribus maxime XENOPHONTE profus confutata est, et a nonnullis recentioribus, vt CVDWORTHO, CLERICO, BRÜCKERO, aliis reiecta. Sic denique etiam cadit illud, quod accusatores Socrati exprobrarunt, eum adolefcentes corrumpere, quod profecto ab eo viro, qui summam pietatem erga Deum demonstrauit omni tempore, et putauit, se numine quodam et afflatu diuino ad emendandos ciues suos impelli, fieri minime potuit.

Quae igitur haecenus disputauimus breuiter de moribus Socratis, ex iis haec fere exiit Socratis imago. In vultu oris habitu nihil fere fuit, quod elatam animi indolem significaret; nihilominus in Socrate erat ingenium excellens, ingens patriae, generisque humani caritas; erga Deum pia reuerentia. Caloris et frigoris patientia par; cibi potionisque desiderio naturali non voluptate modus finitus; animi aequabilitas perpetua et vultus semper idem; comitas erga omnes insignis, coniuncta cum vrbanitate, lepore, suauitateque maxima. In minuenda sophistarum auctoritate fuit indefessus, eosque nunquam non false risit; in excitando apud suos videndi veri, et exercendae virtutis amore studiosissimus, alienus tamen a seueriori praeceptoris persona; scelerum acerrimus animaduersor sine acerbitate; periculorum constantissimus contemtor; in adiuuandis amicis promptissimus, in bello fortis patriae defensor; domi in administrando magistratu iustissimus; in dicendo ita exercitatus, vt facile, quo vellet, audientium animos posset perducere;

<sup>f)</sup> conf. PLATO in *apol.* §. 14. XENOPHON in *apol.* §. 11. sqq. et in *memor.* l. I, c. 1. §. 1. sqq. et l. IV, c. 3. §. 16. sqq.

ducere; in augendis aliorum commodis tam studiosus, vt nec paupertatis mala timeret, in alendis tamen suis minime negligens; in philosophia denique spectator diligentissimus eorum, quae vere vtilia esse possunt; reliquarum artium minime imperitus. Cum his virtutibus coniuncta fuit credula superstitio, qua diuino quodam afflatu moueri se putabat, leuitas quaedam, graui philosopho non semper satis digna, vti patet e quibusdam colloquiis, cum meretriculis Atheniensibus institutis; malus denique pudor nimisque metus in oppugnanda superstitioe publica.

Sequeretur nunc, vt, quid ex hac Socratis imagine intelligi possit et consequatur, copiosius expediremus. Sed ea nobis a typographo, mercatus Lipsiensis laboribus obruto, imperata in scribendo breuitas est, quae omnem vberioeem disputationem excludat. Alio igitur tempore, si Deo placuerit, ea copiosius persequamur, quae tum in hac a nobis adumbrata Socratis imagine, adhuc obscura esse possint, tum ad recentiores super huius viri moribus ac vita motas lites pertinere videantur.



# AVCTORI CLARISSIMO


S. P. D.

PRAESES

**C**um mihi significares, velle *TE* de vita moribusque *Socratis* aliquid scribere; et si videbam, *TE* eum locum tractaturum esse, qui iam sit a multis magnisque viris accurate perpurgatus: tamen consilium *TVVM* probavi propterea, quod existimabam, hoc modo edi a *TE* posse elegantis doctrinae, quae in *TE* est, luculentum specimen. Qua in re cum minime destitueris spem meam et expectationem: equidem *TIBI*, *CLARISSIME VIR*, cum hoc periculum, tum feliciter et cum laude transactos annos, quos in hac academia litterarum studiis dicaueras, ex animo gratulor. Precor Deum, ut omnibus institutis *TVIS* et consiliis successus annuat felicissimos; *TIBI*que aliquam et societatis, e qua iam discedis, amicorum nostrorum dulcissimae, et disciplinae meae memoriam commendo; *Vale*.









ULB Halle

3


004 057 996




v298

56







1923 K 944

360

5, 23

24

I M A G O  
ITAE MORVMQVE SOCRATIS  
E SCRIPTORIBVS VETVSTIS EXPRESSA

DISPV TATIO  
HISTORICO PHILOSOPHICA  
QV AM

P R A E S I D E  
RANCISCO VOLKMAR REINHARD  
THEOL. BACCAL. ET PHIL. PROF. PVBL.  
EXTRAORD.

AD D. VI. APRILIS A. G. CIOIOCCCLXXXI

E NVMERO EORVM  
QVI PRIVATIM SCRIBENDO SE AC DISSERENDO  
EXERCENT

PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR

IOANNES GEORGIVS AVGVSTVS HACKER  
AA. MAGISTER.

VITEBERGAE  
LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

1781

116  
6435

